UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

30. Martij. 3. Cal. April.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

Jeſus; quod utiq; non quomodo cæteros, dixit, ut fieret: ſed pugnavit, ut acquireret; occubuit, ut redimeret.

30. *Martij.* 3. *Cal. April.*

Obijt anno 1162.

B. RAYNALDE: qui ab utero matris peculiari electione divina ſegregatus in vas puriſſimum, ipſam ſtatim infantiam illuſtribus futuræ ſanctimoniæ ſignis impleviſti. Ac primùm quidem in monaſterio S. Amādi ſub legibus D. Benedicti tam religiosè vivebas; ut ſummum monaſticę perfectionis apicem videreris attigiſſe. Sed altiùs duce BERNARDO aſcenſurus, bonâ ſuperiorum veniâ, Claramvallem petijſti; magno animo ſuſcepta contentione, imitandi laborioſum vitæ rigorem, quo tunc ſancta illa congregatio florebat. Cùm verò aliquando inter reliquos meſſis tempore in agro labori inſudares, ac præ nimio æſtu propè deficeres, emiſſo ex intimis viſceribus gemitu, opem Matris miſericordiæ imploráſti. Nec diſtulit illa ſolatium: quin mox tibi viſa eſt, omnium meſſorum ordinem circuire, & ſingulorum ſudorem linteo detergere.

Tranſit à Benedictinis ad Ciſtercienſes.

videt B. V. ſudores metentiū detergentem.

Qui

Qui favor Virgineus omnem deincepſ moleſtiæ ſenſum tibi, in quibuſcunq; laboribus ademit. Sed & alteri frigido ſudori lenimentum eadem Pia Mater adhibuit; quando in extremis luctanti veſtem candidam porrexit, in ſignum victoriæ, & futuræ beatitudinis ornamentum. *Ingemiſco etiam ego ſub gravi pondere diei & æſtûs; portans immane onus peccatorum meorum, & æſtum tentationum. Tu gemitus meos ad thronum clementiæ Marianæ perfer, eámque roga, ut mihi dignetur eſſe, quod omnibus ſolet, in labore requies, & in æſtu temperies.*

Eandẽ habet in morte cõſolatricẽ.

Maria ſolatiũ afflictorum.

B. WALTERE, Villarij Converſe: qui vanitates opum atque deliciarum; quas mundus propinabat ampliſſimas, piâ ſuperbiâ contempſiſti, ut Chriſtum pauperem ſequereris. Cujus vitam affectu tam dulci, & ſinè interpolatione meditabaris; ut diceres: nihil extra illam dignum, quod cogitationes occuparet. *Me quoque fac ſanctè ſuperbum; ut dedigner vel minimâ morulâ admittere cogitationes, quæ non ingerant memoriam me ab æterno amantis, pro me laborantis, ac patientis Jeſu.*

Circa annum 1500.

JESU dulcis memoria.

S. BERNARDUS, ſer. 20. in Cant. Sit ſuavis & dulcis affectui tuo Dominus Jeſus, contra malè utiq; dul-

ces

ces vitæ carnalis illecebras. Et vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum: clavum clavus expellit.

31. *Martij. Pridie Cal. April.*

B. LUDOVICE: qui dum in ſæculo divitijs adhuc & voluptatibus immerſus, emergere ex letali morbo deſperares ope humana, ad divinam confugiens, te Ordini Ciſtercienſi devoviſti; inter ipſa votum exprimentia verba, momento integræ ſanitati reſtitutus. Itaque uxorem, tuæ pietati nihil refragantem, relinquens, in monaſterio Heiſterbacenſi ſacrum Ordinem, & ſimul verum paupertatis amorem amplexus es. Et quemadmodum celeri prodigio à corporis ægritudine convaluetas; ita ad miraculum piam, auſterámque vitam inſtituiſti, citato curſu progrediens de virtute in virtutem, uſque in ſenium, atque ipſam mortem, quam exultans, & jubilans obijſti. *Monitum illud Regij Vatis:* Vovete, & reddite: *eâ diligentiâ obſervâſti, quàm ſcio, etiam mihi pari ſolicitudine cordi eſſe debere. Et utinam fideliter obedientium præmia, ac deſidioſorum pœnas ſæpiùs in ani-*

Obijt anno 1219.

Voto cõcepto, ſubitò ex morbo convaleſcit.

Vove, ſed redde.

mo